

Porro Numen hoc trinunum Ens in se est summum, primum & independedens, Causam superiorem planè respiciens, Jes. 43, 11. c. 44, 6. Joh. 5, 26. Infinitum, omnium rerum ac perfectionum, limites longè excedens, Hiob. 11, 8. Ps. 145, 3. adeoq; in seipso sibi sufficiens, gloriosissimum simul ac beatissimum. Immensum, ut nullâ neq; continuâ loci, nec successivâ quantitate temporis ac ævi mensurari queat: unde resultat, quòd etiam sit æternum, citra ullam successionem & durationis fluxum tam à priori quàm posteriori à seculo in seculum perennans; ut & omnipræsens, nullibi nec poli ambitû nec soli conclusus, verùm spatia ubiq; replens omnia, si quæ essent, etiam imaginaria. 1. Reg. 8, 27. 2. Paral. 2, 6. Gen. 21, 34. Ps. 90, 2. 4. Ps. 139, 7. seqq. Jer. 23, 23. Immutabile, ab omni motu physico pariter & Ethico immune, Ps. 102, 27. Mal. 3, 6. Jac. 1, 18. Immortale, nunquam ullô modô deficiens, aut admit- tens vitæ cessationem, Ps. 102, 13. Jes. 40, 28. Liberrimum, nulli coactioni aut fatali necessitati alligatum, Ps. 115, 3.

Insuper DEUS est Omniscius, intelligibilia quæq; & necessaria & contingentia, sive nobis sint præterita, seu præsentia, seu futura, eaq; vel certò eventura, vel (liceat βαεβαεῖς) futuribilia, quod innuit, reverà nunquam è causis suis emeritura, quamvis sub hâc vel illâ conditione fieri potuissent, unicò actû exactissimè cognoscens absq; speciebus intelligibilibus, & sine discursû, 1. Reg. 8, 39. 2. Paral. 16, 9. Hiob. 34, 21. Ps. 11, 5. Ps. 139, 1. 15. 16. Matth. 10, 26. c. 6, 30. 1. Joh. 3, 20. Quocirca melioris doctrinæ gratia tres faciunt divinæ scientiæ sive species s. gradus; primam visionis, respicientem futura, quæ ipse DEUS facere vel permittere constituit; secundam simplicis intelligentiæ, complectentem etiam possibilis, quæcunq; sint ante omne decretum de iis vel producendis vel omittendis; tertiam deniq; mediam seu neutram, s. conditionatam, ad ea directam, quæ ex libertate agentis creati pro tali vel tali statû, proficisci non nequirent, (& hanc quidem, quod obiter notamus, veteribus ignotam primus excogitavit Petrus Fonseca,